Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1180
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

43
52

magis erubescet eandem a se inquiri. Alius: qui
in brevi tempore pro pudore non patitur, omni tempore in pudore
insipientie permanebit. Alius: non omnis qui sapi-
ens dicitur sapiens est, sed qui discit et retinet sapientiam.
Alius: qui in doctrina defecit parum generositas
sua ei proderit. Dogmate enim indiget nobilitas, sa-
pientia vero experientia. Arabs quidam versificator pru-
dens et facetus, sed ignobilis, cuidam regi versus suos
obtulit. Cuius notata prudentia rex eum honorifice
suscepit. Huic quoque invidebant alii versificatores regem-
que convenientes inquiunt: Domine, cur hominem tam vilis pro-
sapia ortum adeo magnificas? Ad hec rex: Quem
vituperare putatis magis laudatis. Ipse vero qui vitupera-
tur hoc adiunxit: Rosa ex spinis orta nequaquam blas-
phematur. Rex autem maximis honoratum muneribus eum
dimisit. Contigit ut quidam versificator nobili ortus · Exemplum
prosapia parum disciplinatus regi cuidam versus suos
offerret. Quos acceptos rex male compositos spre-
vit, nichilque sibi dedit. Ingratus quoque versificator regi: Si
non pro versibus, saltem pro generositate aliquid mihi tribuas.
Rex quoque: Cuius patris tui? At ille sibi indicavit. Ait rex:
Semen inter degeneravit. Cui versificator: Sepe ex fru-
mento oritur siligo. At rex: Amore te quam patrem tuum
probasti. Illumque immunem sic dimisit. Alius versifica- · Alius
tor venit ad regem, patre ignobili sed matre gene-
rosa, et incompositos obtulit versus. Cuius mater fratrem
habebat litteratum et facetum ac splendidum. Rex autem non